

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7273

**Autre(s) référence(s) :** Round 210

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Martin-de-Boscherville, Saint-Georges de Boscherville (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1177-1182]

**Lieu d'émission :** Lillebonne

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation générale des biens de l'abbaye de Saint-Georges de Boscherville.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DXCIV, t. 2, p. 188-192.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 189. Souscription de Gautier de Coutances, archidiacre d'Oxford, élu évêque de Lincoln le 8 mai 1183. Henri II n'a pas été en Normandie pendant les premiers mois de 1183. Gautier apparaît comme « sigillifer regis » en 1177 ; le fait qu'il souscrit au-dessous du chancelier, et avant les autres témoins indique qu'il était déjà en cette fonction.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, archidiaconis, decanis, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis totius terre sue, salutem.

Sciatis me concessisse et presenti carta mea confirmasse Deo et ecclesie Sancti Georgii de Baukervilla et monachis ibidem Deo servientibus omnes rationabiles donationes que eis facte sunt et carta regis Henrici avi mei et cartis aliorum donatorum confirmate, scilicet : Ex concessione et confirmatione ipsius regis Henrici avi mei, in loco super Sequane fluvium Bauchervilla dicto, ecclesiam in honore Sancti Georgii consecratam, cum appenditiis suis, quam ipse rex Henricus ecclesiastici ordinis consensu sancteque christianitatis assensu ac sue sanctionis privilegio in posterum fore abbatiam statuit et confirmavit. Ex dono regis Willermi patris predicti regis Henrici et Mathildis regine matris sue in Hamonvilla terram Bertranni Porcarii et dimidiam villam que Tillol vocatur, in omni re, id est in ecclesia, terra et nemore ; in Brunethot XX. acras terre cum aliquot allodii possessoribus ; in Monteneio XXX. acras terre ; in monte Helechin XVIII. acras terre. In Rothomago quatuor domos quietas et omnia que dedit Ricardus filius Gocelini vel vendidit ; item in Branvilla terram ad unam carucam cum hospitibus, et ecclesiam

de Torvilla cum decima, et Solegai et decimam Estaindrat ; ecclesiam de Haimonvilla cum tribus acris terre et cum omni beneficio quod tenuit Gocelinus sacerdos de eo ; item ecclesiam Sancte Helene cum terra et omni decima sibi pertinente, id est decima Cliville et Osbertivill[e], et Lovetot in quo et dedit unum hospitem, decimam quoque molendini qui est super li Bech., aquam ad piscandum juxta Bardulfi Villam, duas acras terre ubi maneret unus piscator. Item in Bauquavilla quatuor acras terre quatuorque prati ac mansum Turgoti. Item ex donatione predicti regis Henrici avi mei ea que dedit et vendidit Hugo de Glutivilla eidem loco, id est in Crasvilla, unam acram terre quam tenuit Trucet jocularor, et ecclesiam ejusdem Crasville cum omni decima, in qua quod habebat Garnerius dedit, et Turstinus filius Rol. quod habebat dedit et Walterus de Bech quod habebat dedit, et quinque accras terre et unum bordarium in Habetot. Item ex donatione et concessione predicti regis Henrici quecunque eidem ecclesie Sancti Georgii Rodulfus Willelmi regis magister et summus camerarius, qui ex proprio ipsam ecclesiam atque officinas ibidem fabricavit et liberam fecit, dedit et concessit, scilicet ecclesiam de Habetot cum omni decima et VII. acras terre atque decimam de essartis omnibus qui sunt inter Habetot et Colebosc et ecclesiam de Gremunmesnil cum tota decima, et X. acras terre ac decima[m] suarum ovium illius ville ; in Herufflueth et Luere duas pensas salis quoque anno et ecclesiam de Ratheri castro cum omni decima terre et pratorum, et decimam quam habebat ibi es mares Turstinus filius Gouberti Sancto Georgio dedit, et ecclesiam Boudeville ac decimam de suo dominio et de Balduibosch, Radulfo concedente qui eres erat et dante X. acras terre preter alodium sancti ; apud Chevillon VI. acras prati et in Bauquavilla terram Ingulfi patris Hoelli et terram Turgerii, unum quoque molendinum apud Daivillam, decimamque equarum suarum et omnia que ipse Rodulfus habuit in Magnivilla, id est in ecclesia, terris, pratis, aquis, portu et hospitibus, et quecunque etiam in Houdetot idem ipse habuit, et ecclesiam terram aut nemora ipsi etiam contradidit et ad mortem in omni re dedit ei suam partem. Quin etiam omnia que dederunt vel vendiderunt eidem ecclesie Willelmus de Paviliaco et Hugo frater ejus, id est decima[m] Paviliaci et Lanberti Ville, et LX. acras terre in alodio, et com[m]unem pastionem et vacationem ad decimandum terram ; et decimam totius terre Vascelini Cornet quam Sancto Georgio dedit. Insuper omnia que dederunt vel vendiderunt filii Rodulfi, scilicet Rodulfus, Nigellus, Willelmus et Avicia mater eorum, id est ecclesiam Sancti Stephani de Belcanp[o] et XV. acras terre et totam decimam de suo dominio et de liberis hominibus, et terciam partem de rusticis et ecclesiam Sancti Leodegarii que est in Assetot et VI. acras terre et omnem decimam de liberis hominibus et terciam partem de rusticis, et decimam de Estelant agrorum et nemoris et de mares de insula quam Gutbertus et uxor ejus Ermentrut eidem sancto dederunt, et unum hospitem quem vendiderunt, necnon et omnia quecumque munuscula a fidelibus eidem sancto contributa sunt, ista scilicet : ex dono Fulconis filii Theobaldi IIII. acras prati, ex dono Willelmi filii Theobaldi unam acram prati, ex dono Hugonis unam acram prati, ex dono Fulconis filii Osmundi unam acram, ex dono Rogeri Gula Macre I. acram, ex dono Ernaudi I. acram, ex dono Ricardi I. acram, ex dono Rendulfi sacerdotis unam virgatam, ex dono Rodulfi canonici II. acras terre et II. prati, ex dono Pagani filii Osmundi unam acram, totam decimam terre quam habebat in Chevillon et in Bauquavilla ubi habebant ecclesiam. Ex dono filiorum Saswalli I. acram terre. Ex dono Fulch., II. acras terre. Ex dono Gileberti filii Magni I. acram terre et duas prati. Ex dono Godefredi filii Pagani I. acram prati. Ex dono Rodulfi de Turbervilla decimam quam habebat in Maignivilla. Ex dono Radulfi et Valteri abbatis duas acras terre. Ex dono Radulfi filii Mainsoniani (sic) III. acras terre et prati. Ex dono filii Normanni decimam quam habebat in Magnivilla et in Hauguemara. Ex dono Aszori decimam terre quam habebat de camerario in Salhus. Ex dono Vigeri et filii ejus Willelmi decimam de Bucor et de Masnill[o]. Ex dono Hugonis filii Goscier., decimam totius terre quam habebat in Bodevilla. Ex dono Willelmi [de] Monte Thead., terram cum pratis quam habebat in Bauquavilla. Ex dono Ernaldi I. acram terre. Ex dono Helti dimidiam. Ex dono Radulfi de l'Alge terram Willelmi filii Ingenulfi cum pratis. Ex dono Valteri de Bealmeis I. acram terre. Ex dono Alpais et filii ejus Roberti et Valteri quatuor acras terre. Item ex donatione et concessione predicti regis Henrici avi mei ecclesiam de Chevillon cum omni decima aut terra sibi pertinente quam Sancto Georgio dedit Robertus de Brutvilla et Sizilia mater ejus atque ecclesiam de Benedictavilla quam dedit Sancto Georgio Willelmus de Frelavilla et Godefridus filius ejus cum omni decima, et unam acram terre. Ex dono Roberti de Cantelupo decimam de omni re quam habebat in eodem vico. Item ex dono Willelmi et regis Henrici avi mei quietudinem prefate ecclesie in omni re cis mare et ultra. Item ex donatione et confirmatione predicti regis Henrici avi mei cum supra scriptis que Willelmus camerarius filius predicti Rodulfi camerarii concedentibus filiis Rabello et Roberto ac Lucia eidem ecclesie dedit, scilicet in Rothomago unam domum cum II. acris prati. In riparia terram Sequebout, terram Goie, terram Valteri filii Alpais, terram Gocelini de Piro, terram duorum porcariorum cum porcis, alnetum cum ejus redditu, et fossas et venationem, sua prata ibi adjacentia, insulam Rabelli cum gardino et piscatoribus et redditu piscium, omne dominium suum de Boudevilla cum molendino et bosco exceptis vavisoribus, decimam totius redditus foreste Julie Bone et Fiscanni et portus Tancardi Ville in omni re

sibi pertinente, et Wallium decimam et molendinorum de Brevedan et decimam molendini de Bolebec, et decimam de Erpnevilla et decimam molendini de Julia Bona, dimidiam ecclesiam de Espretot, decimam de omnibus que habebat in Baiocis. In Rispivilla quicquid habebat, id est capellam molendini, terram ad IIII. boves et boscum tringintaque duos hospites. Quoddam molendinum braisarium in Julia Bona cum uno hospite. Decimam de mercato Sancti Romani et omne quod habebat in Wimondevilla super mara, cum mara quam ibi habebat. Item duas pensas salis in Lure et in Heruffluth et decimam molendini Maisnil Geroudi et decimam molendini de Viana ac de Vonoich (?), decimam molendini de Turre, et in Costentino ecclesiam Sancti Floscelli totam cum omni re sibi pertinente et decimam molendinorum de Waudinvilla, decimam foreste Montiburgi in omni reddito et decimam mercati de Viliers et decimam totius redditus Rothomagi et decimam totius redditus suorum ruricularum circa Colebosch adjacentium ; in Otburvilla VI. acras terre cum uno hospite. In Anglia vero XXII. libratas terre in Avesberia. In Witeburna juxta Salesberiam VII. libratas, scilicet terciam partem ville ; in Cadecoma terram reddentem L. solidos. Item ex donatione et concessione prenominati regis Henrici ecclesiam de Ailis cum omni re sibi pertinente sicut tenuit eam episcopus R. Lu[n]doniensis, ita liberam sicut ipse Willelmus de dono ipsius regis Henrici eam accepit. Item de dono regis Henrici, IX. libratas terre de Westona sicut idem Willelmus dedit, et XX. libratas terre in Aveberia et in Bereberia quas G. filius Pagani dedit Sancto Georgio. Item ex concessione ejusdem regis Henrici terram adjacentem abbacie, mutuata a H. de Guitvilla, ita quietam tenendam sicut illa erat que data est pro illa. Item ex donatione ejusdem regis Henrici et concessione quietudinem in foresta Roumare, id est viride lignum de liberatione captum ad omne opus sancti faciendum, siccum vero, herbagium, pasnagium quietum sibi et manipastui ejus et in omnibus dominiis regis Henrici, forestis, burgis, mercatis, passagiis, pasnagiis, portibus cis mare et ultra. Quare volo et firmiter precipio quod predicta abbatia Sancti Georgii de Baukervilla et monachi in ea servientes omnia supradicta habeant et teneant in libera et perpetua elemosina bene et in pace, libere et quiete, plenarie et integre et honorifice, in ecclesiis, terris, decimis, in bosco et plano, in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis et mariscis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus, et cum omnibus libertatibus et quietanciis et liberis consuetudinibus suis, sicut carta regis Henrici avi mei et carte aliorum donatorum suorum testantur.

Testibus : Rad[ulfo] de Wand[e]villa cancellario, magistro Waltero de Costentiis Oxin[eforde] archidiacono, Willelmo Painel Abrincensi archidiacono, comite Johanne Vindocinensi, Roberto de Stuttevilla, Willelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Hugone de Cressi, Ricardo del Aufoy, Gilleberto Pipardo, Bertranno de Verduno, Saherio de Quinci, Willelmo de Mara, Reginaldo de Pavilleio.

Apud Juliam Bonam.